mentum B.S.P,ſeu P,S,Z:&,quia hic ſimiliter extremæ partes intermediæ opponuntur,igitur auferendus erit antilogarithmus 11. graduum 35.51', qui eſt 206271. ex logarithmo 54.graduum,qui eſt 211953. & ſupererunt 1913082. antilogarithmus 34.graduum 19.21' fermè, qui ſunt angulus poſitionis ſolis quæſitus.

ADMONITIO.

PRæter angulum poſitionis ſolis ac prima praxi acquiſitum,habetur ſecundò eadem praxi declinatio ſolis ex datis differentia aſcenſionali & plaga ſolis. Tertiò habetur differentia aſcenſionalis ex datis eleuatione poli & angulo poſitionis ſolis. Quartò eleuatio poli inuenitur ex plaga ſolis & eiuſdem declinatione datis. Quintò plaga ſolis acquiritur ex angulo poſitionis ſolis & differentia aſcenſionali. Sextò (contrario ordine) angulus poſitionis ſolis inuenitur ex plaga ſolis & differentia aſcenſionali datis. Septimò declinatio ſolis habetur ex angulo poſitionis ſolis, & eleuatione poli datis. Octauò differentia aſcenſionalis ex declinatione ſolis, & eiuſdem plaga inuenitur. Nonò eleuatio poli habetur ex data differentia aſcenſionali,& angulo poſitionis ſolis. Decimò tandem acquiritur plaga ſolis, ex eleuatione poli, & declinatione ſolis datis.

Atque ita ad imitationem horum quatuor exemplorum, triginta variæ ſoluuntur quæſtiones circularium partium, hoc eſt,triginta variæ quæſtiones in quadrantali rectangulo, & totidem in non rectangulo ſoluuntur hoc poriſmate, beneficio vnius tantummodo additionis vel ſubſtractionis.Cæterùm ad intelligentiam poſterioris partis huius poriſmatis, de arcuum ſpeciebus, vide exempla, (tertium,quartum,quintum,& ſextum) ſequentia.

DE

DE NON QVADRANTALIBVS mixtis.

CAP. V.

HActenus quadrantalium, ſequitur triangulorum Sphericorum non quadrantalium doctrina.

1. *Non quadrantale eſt triangulum Sphæricum, cuius nec latus, nec angulus quadrans eſt.*
2. *Non quadrantale reducitur ad bina quadrantalia, Si à vertice ad eius baſim (prout opus fuerit extenſam) dimittatur perpendicularis,aut quadrans arcus.*
3. *Perpendicularis cadit intra triangulum,ſi anguli apud baſim ſint eiuſdem ſpeciei:extrà verò ſi diuerſæ:& contrà.*
4. *Quadrans arcus cadit extra triangulum, ſi crura ſint eiuſdem ſpeciei. Intrà verò ſi diuerſæ:& contrà.*
5. *Ex non quadrantalis ſex partibus, tres datæ ſolùm ſufficiunt ad reliquarum ſcientiam comparandam: niſi forſan trium datarum, quarum vna alteri opponatur, tertia ſit propinquior quadranti, quam altera eiuſdem generis data. In hoc enim caſu requiritur etiam dari ſpecies partis quæ tertiæ opponitur,vt reliquæ ſciantur.*

Huius caſus exempla ſunt,quartum & ſextum exemplum ſequentium.

6. *Partes tres datæ aut miſcellaneæ ſunt,aut puræ.*
7. *Miſcellaneæ ſunt, quarum vna eſt diuerſi generis à reliquis duabus.*

Vt cùm dantur duo latera,& angulus aliquis: aut duo anguli cum latere aliquo.

8. *In partibus miſcellaneis datis, ſi ab illo termino lateris dati in cuius reliquo termino ſit angulus datus,cadat ad baſim perpendicularis,aut quadrans datum illum angulum ſubtendens, reducetur non quadrantale ad bina quadrantalia (per nonam ſect. cap. 4. huius) ſolubilia.*

Vnde & non quadrantalis partes (quia cum horum quadrantalium partibus,aut partium reliquis communes ſunt) facilè innoteſcunt,